VIRO

Prænobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,

D. Jo. Iac. Mascovio I.T.

S. P. D.

Mich. Christoph. Hanow.

Iussu Tuo, Vir Amplissime, ad Conizenses retuli, quae ipsis significanda suggesseras. Tuli responsum, quod Schmidtius, senatoris olim Ged. filius, una cum his manibus tuis consignandum accepit, ante aliquot dies. Cuius argumentum cum ex filio Consulis Wolfii, qui meo utitur hospitio et circa Pentecosten aderit forte Tibi, communicatum acciperem, institi per eundem apud parentem et senatum, revocato ipsis in memoriam Consilio Tuo olim communicato, de ipso ut sententiam edicerent. Iusserunt vero has prius ad Tuam amplitudinem curare, Tuumque expetere responsum, suis sumtibus veredo tradendum.

128v

Quod itaque, qua decet obſeruantia, facio, Tibique mea obſequia probari numquam non cupio. Fauebis, quod facis, perpetuo piae iſti cauſſae, meque, ſi forte Te ſolum adminiſtratorem mallent, quod ſubolfacio, ſi id moleſtum accideret, deprecandi rationes edocebis; fauebis quoque mihi fratrique, qui praeturam Tibi gratulamur, et, quotquot tamque praeter eam accedere felicitati Tuae poſſint, ex animo precamur.

Deproperabam Gedani 4 Non. April. CIƆ IƆ CC XXXV.

Dn. Fratrem Hardervvicum ſcripturus haud grauatim meis quoque verbis ſalutabis.

Viro Excellentiſſimo Conſultiſſimoq;
Joanni Jacobo Mascovio, J. V. D.
Lipſienſium Senatori et Doctori, Senatus
Bibliothecario, S. R. Majeſtatis Polon. &
Serenitatis Electoralis Conſiliario aulico et
Curiæ provincialis, quæ Lipſiæ floret, adſeſſori
undiquaq; meritiſſimo

Lipſiam